



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De vitandis peccatis in Spiritum sanctum, & de clamantibus in cælum.
Cap. XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

qui admonendi sunt, vt filiorum suorum peccata castigent, nè à Deo puniantur, quemadmodum punitum esse Heli sacerdotem sacra testantur litera. In parentum numero collocauimus praeceptores, cum ad illos pertineat, discipulos paterno amore diligere, & illos quodammodo gignant, cum in eorum animis optimarum rerum cognitionem imprimant. Participatione peccat, qui ad perpetranda peccata se socium adiungit; quemadmodum peccauit Aaron Moysis frater, cum ipse, & populus Israeliticus vitulum aureum in deserto construxerunt. Quo in peccandi genere grauissimè peccare solent coniuratores, & conspiratores: cuiusmodi fuerunt fratres Ioseph, qui in ipsum conspirauerunt. Defensione peccant, qui in foro alienas causas iniustas, vel lucri, vel amicitiae causa, tuentur: quod magnum scelus rationibus multis fugiendum esse demonstrabit.

De vitandis peccatis in Spiritum sanctum, & de clamantibus in caelum.

Cap. XVIII.

MAXIME autem vitanda Christiano populo inculcabit Ecclesiasticus orator peccata in Spiritum sanctum. haec autem sunt, desperare de diuina bonitate, agnitam veritatem impugnare, fraternae charitati inuidere, obstinato, & impoenitenti animo in peccatis perseuerare: quae acriter reprehendet; quandoquidem neque in hoc seculo, neque in futuro remittuntur. Clamare quaedam peccata in caelum commemorabit: Homicidium voluntarium, vitia contra naturam; pauperum, viduarum atque pupillorum oppressionem; & mercedem operario-

rum defraudatam. Quae peccata maximè detestans, ea forma dicendi utetur, ut piorum hominū, praesertim virginum animi, verborum obscœnitate non offendatur. quae de re agemus, cum de elocutione tractabimus. Vitanda esse dicet leuia, & venialia peccata, quatenus humana infirmitas patitur, nè paulatim in mortalia incidamus: addet vitandam esse improborum hominum consuetudinem, nam fieri vix potest, ut qui tangit picem, non inquinetur ab ea: vitadam curiositatem, impudentiam sororem, vanitatis nutricem: vitanda theatra, publica spectacula, frequentia conuiuia: inde enim saepe deteriores homines, atque etiam interdum tristiores solent recedere. Vitandum, de seipso loqui, nisi necessitas cogat, ut fecit interdum B. Paulus ad Corinthios: *Ministri sunt, & ego, ut minus sapiens, dico plus ego.*

De agendis. Cap. XIX:

QUIA non satis est declinare à malo, sed Christianum hominem oportet agere bonum: hortabitur Ecclesiasticus orator fideles Christi, ad agenda ea, quae lex iubet: legem dictam esse explicabit ab eligendo, eò quod eligant homines quid agendum sit, aut à ligando, nè tanquam furentes precipites ruamus. Hanc legis distinctionem interdum asseret, sumptam ex scholasticis doctoribus: legem aliam esse diuinam, aliam humanam. Diuinam, (ut interim aeternam omittamus, quae est summa ratio, cui semper obtemperandum est, cuius quosdam veluti radios mentis lumine cernimus) distinguat in naturalem, & positiuam: naturalem esse rectitudinem intellectus, & primam regulam, à qua omnes res
agen-